

A tur ubi est terra, & sursum ubi est cœlum: illis quoque sursum erit, quod de inferiore suspicient, nec aliquando in supna casuri sunt. Affirmauerim quoque & apud illos minus rerum peritos hæc existimare de nobis: nec credere posse, nos in quo sumus loco, degere: sed opinari, si quis sub pedibus eorum tentaret stare, casurum. Nunquam tamen apud nos quisquam timuit, ne caderet in cœlum. Ergo nec apud illos quisquam in superiora casurus est, sicut omnia nutu suo potera in terram ferri superius relata docuerunt. Postremo, quis ambigat in sphaera terrae, ita ea quae inferiora dicuntur, superioribus suis esse contraria, ut est oriens occidenti. Nam in utraque parte par diametros habet. Cum ergo & orientem & occidentem similiter constet habitari, quod est quod fidem huius quoque diuersae sibi habitationis excludat.

B Hæc omnia non otiosus lector in tam paucis verbis Ciceronis inueniet. Nam cum dicit, terram cingulis suis redimitam atque circumdatam, ostendit per omnem terrae corpus eandem temperatorum cingulorum continuatam esse temperiem. Et cum ait, in terra maculas habitationum uideri: non eas dicit quae in parte nostrae habitationis nonnullis desertis locis interpositis incolunt. Non enim adijceret, in ipsis maculis uastas solitudines interiectas, si ipsas solitudines diceret, in quibus certae partes macularum instar haberent. Sed quia maculas dicit has quatuor, quae in duobus terrae hemisphaerijs binas esse ratio monstrauit, bene adiecit, interiectas solitudines. Nam sicut pars quae habitat a nobis, multa solitudinum interiectione distinguitur, credendum est, in illis quoque tribus alijs habitationibus similes esse inter deserta & culta distinctiones. Sed & quatuor habitationum incolas, & relatione situs, & ipsa quoque standi qualitate depinxit. Primum enim ait, alios propter nos ita incolere terram, ut a se interrupti nullam habeant ad se facultatem medi. Et ipsa uerba declarant, non eum de uno hominum genere loqui, in hac superficie a nobis solius torridae interiectione diuiso. Sic enim magis diceret, ita interruptos, ut nihil ab illis ad uos manare possit. Sed dicendo, ita interruptos, ut nihil in ipsos ab alijs ad alios manare possit, qualiter inter se illa hominum genera sint diuisa, significat. Quod autem uere ad nostram partem referret, adiecit dicendo, de illis quae & a nobis & a se inuicem diuisi sunt, partim obliquos, partim transversos, partim etiam aduersos stare nobis. Interruptio ergo non unius generis a nobis, sed omnium generum a se diuisorum refertur, quae ita distinguenda est. Hi quos separat a nobis praeserta, quos Graeci *αυτοεμοις* uocant, similiter ab illis quae inferiorem zonae suae incolunt partem, interiecta australi gelida separantur. Rursus illos ab *αυτοεμοις* suis, id est per nostri cinguli inferiora uiuentibus, interiectione ardentis D sequestrat: & illi a nobis septentrionalis extremitatis rigore remouentur. Et quia non est una omnium affinis continuatio, sed interiectae sunt solitudines ex calore uel frigore mutuam negantibus comitum, has terrae partes, quae a quatuor hominum generibus incoluntur, maculas habitationum uocauit. Quemadmodum autem ceteri omnes uestigia sua figere ad nostra credantur, ipse distinxit. Et australes quidem aperte pronuntiauit aduersos stare nobis, dicendo: Quorum australis ille, in quo qui insistent, aduersa nobis urgent uestigia. Et ideo aduersi nobis sunt, quia in parte sphaerae quae contra nos est morantur. Restat inquirere, quos transversos & quos obliquos nobis stare memorauerit. Sed nec de ipsis potest esse dubitatio, quin transversos stare nobis dixerit inferiorem zonae nostrae partem tenentes. Obliquos uero eos, qui australis cinguli deuexa sortiti sunt.

Quan-

Declarantur
particulatim
uerba Cice-
ronis.